De Magia

DISPVTATIO
EX CAP. 7. EXO.

Deo Patre per Jesum Christum, virtute Spiritus sancti nos iuuante.

PRAESIDE REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO IACOBO HEERBRANDO, SACRAE THEOlogiæ Doctore eximio, ac eiusdem in Academia Tubingensi Professore publico, Domino ac Præceptore suo omni pietate colendo,

NICOLAVS FALCO *Salueldensis, ad subiectas cum Quæstione Theses, XV. die Decembris, loco consueto, hora septima autemeridiana, pro ingenij sui viribus, exercitij causa, respondere conabitur.*

Tubingæ, Anno M. D. LXX.

~~[illegible]~~
BK
A. 6776.

DE MAGIA DISPVTATIO.

Quæstio.

VM à Moſe Exod. 7. cap. dicatur: Magos Ægyptiorum ſuis incantationibus vertiſſe virgas ſuas in ſerpentes: quid de Magia ipſa, & Magis ſit ſentiendum, quantumq; illis tribuendum, quæſtione dignum viſum eſt.

Propoſitio prima.

Magorum nomen honeſtiſsimum fuit apud Perſas. Hoc enim illis tribuebatur, qui doctrinarum ſtudijs de Deo, motibus corporum cœleſtium, ac rerum naturalium erant dediti, & excellebant, (ſicut apud Græcos Philoſophi) quibus etiam Regij pueri educandi tradebantur.

2.

Hi quia naturæ ſecreta altius rimantur, & naturalem Philoſophiam inquirunt, abdita illius myſteria, qualitates, proprietates, & totam rerum naturam, quantum quidem acie mentis, & ingenij humani fieri poteſt, ſcrutantes, ac penitius introſpicientes, admiranda efficiunt opera, humanum captum ferè excedentia, quæ naturalis Magia dicitur.

3.

Hæc Profeſsio Magorum laude fuit digniſsima, quòd cognitio illa, dux eſt ad Dei agnitionem, talem, qualem mens humana poſt lapſum extra verbum Dei reuelatũ, ex naturæ contemplatione concipere poteſt.

4.

Verùm vt fieri consueuit in plærisq; alijs quoq; rebus, vt homines ijs non contenti, latius euagentur, & mala quædam assuant, vnde ipsæ quoq; res male audiant, & vocabula reddantur odiosa: idem his quoq; honestissimis accidit studijs, & Professioni Magiæ.

5.

Hinc factum est, vt & Magorum, & ipsius Magiæ vocabulum, sicut Sophista, Tyrannus, & id genus alia, infame sit, & malam in partem accipiatur.

6.

Magi enim dicuntur, qui pacta cum Diabolis facientes, ab ipsis, vel ex libris, illicitas & interdictas artes (vt ita loquar) discunt, certis characteribus, exorcismis, cõcepta verborum qualiumcunq; forma, additis certis ritibus, dæmonia euocantes, vt aliquo modo respondeant, vel faciant aliquid contra verbum Dei, aut naturæ legem, vel ordinem in natura diuinitus institutum.

7.

Hinc Magia, Professio illa, vsus & exercitium Diabolicarum istarum illicitarum, & prohibitarum rerum vel artium.

8.

Esse autem tales, sacræ & prophanæ literæ, tum etiam ipsa rerum experientia, proh dolor, plus satis testantur.

9.

Berosus Scriptor antiquissimus, filium Noæ Cham impium illum & prophanum, authorem Magiæ fuisse refert, ideoq; dictum Zoroast, id est, Magus, qui primus Ægyptum incoluerit (quod de filio eius Mizraim certum est) vnde Magi Ægyptiorum.

Beros. lib. 3. de Antiquit.

10. Quis

10.

Quicunq; autem author fuerit, certum est à Diabolo profectam esse hãc Magiam impiam & famosam, eiusq; inuentum: ideoq; detestandam & cauendam.

11.

Multæ præterea sunt & fuerunt Magiæ species, sicut varia extant cùm in sacra Scriptura, tum apud prophanos authores nomina & vocabula illarum prohibitarum artium impiarum, quæ aliqua ex parte, Dei beneficio, apud Christianos interciderunt.

12.

Hæc Magia non vnum tantùm in se, aut simplex continet peccatum, sed multa, eademq; horrenda & abominanda.

13.

Primùm enim pugnat cum verbo Dei, quo seuerissimè prohibetur: Non sit, inquit Dominus, qui ariolos Deut. 18.
sciscitetur, qui obseruet somnia atq; auguria. Ne sit maleficus, nec incantator, neq; qui pythones consulat, nec diuinos, aut qui quærat veritatem à mortuis.

14.

Nec solùm prohibuit Deus, sed vt ostenderet, quantopere abominaretur, è medio omnes tolli voluit, quasi rerum natura talibus piaculis contaminaretur.

15.

Quod pij quoq; Imperatores imitati, & ipsi prohibitas istas artes seuerissimè interdixerunt.

16.

Deinde Apostasia à vero Deo ad Diabolũ, quid horribilius cogitari potest? quòd homines ad Dei imaginem conditi, mancipia fiant Diaboli, qui eorum abuti-

tur opera, & tandem secum in æternos abducit cruciatus.

17.

Præterea abusus nominis & verbi diuini ad res illicitas, impias & Diabolicas, quod est abuti verbo Dei contra verbi diuini sententiam & voluntatem.

18.

Non enim in hoc est traditum verbum Dei, vt ex nuda ipsius per se recitatione, concepta verborum certa forma, valetudinẽ conferat hominibus, aut aliud, quàm quod diuinitus est datum, operetur & efficiat.

19.

Nec existimandum est, verba ista Magorum tantæ esse efficaciæ, aut eas habere vires, vt res istas efficiant.

20.

Sunt enim tantùm inania verba, & murmur quoddam, ad decipiendos homines, arte Diabolica conficta & composita, quæ nullus sequitur effectus, neq; ex ordinatione diuina, neq; ex causis naturalibus.

21.

Quòd verò curationes istas per exorcismos & incantationes institutas, effectus quandoq; sequitur, mirum videri nemini debet.

22.

Nam Dæmones, vt Tertull: inquit, dum affligere cessant, curasse videntur.

23.

Neq; tamen interim negauerim, aliquando Diabolos verè curare homines & iumenta.

24.

Notas siquidem habeant & cognitas herbarum, & aliarum rerum naturalium vires.

25. Quam

25.

Quam ad rem non indiget characteribus, aut exorciſmis illis Magorum, ſed naturalia ſunt, ex quibus etiam ſine verborum iſtorum prolatione effectus ſequuturus erat.

26.

Libenter autem hominũ opera, & verbis ſacris, crucibus, & characteribus alijs vtitur, ſeu potius abutitur, vt homines in ſuperſtitione ſibi deuinctos retineat.

27.

Satan itaq; agit ipſe, quæ ſtultus ille & impius Magus ſe ſuis vocibus & incantatione agere putat.

28.

Non igitur incantationibus Luna cœlo detrahitur, aut, vt gentes infideles perperam iudicauerunt, fruges alio transferuntur incantationibus.

29.

Inſuper Magi cum Diabolo in hominum exitium & perniciem conſpirant, fortunas, valetudinem & corpora ipſorum lædere conantes. Et hoc modo, homo homini Diabolus

30.

Quod verò ad prædictiones attinet, & rerum aliâs ignotarum ſignificationes à Magis per Diabolos factas, multi ſunt modi ſuperſtitioſi, qui in rerum natura nullas habent cauſis, & in verbo Dei ſunt prohibiti.

31.

Multa Satan ſuis prædicit, quæ ipſe facturus eſt, quorum copiam ſibi à Deo conceſſam eſſe nouit. Auguſt. de Diuinat. Dæmonum.

32.

Multa facilius inielligit, & futura præuidet, vt Saulem interiturũ, ſicut etiam præſentit quædam antequam fiant.

33. In

33.

In multis verborum & ſententiarum ambiguitate ludit, vel volens, vt decipiat, vel ignorans ea de quibus cõſulitur, vt quocunq; modo res cadat, diuinus nihilominus habeatur. Sicut Cræſo prædixit futurum, vt ſi cum exercitu fluuium Halyn traiiceret, magnum euerteret imperium. Suum ne an alienum?

34.

Fallunt itaq; inuida voluntate homines, cum erroribus & malis eorum gaudeant, ſicut Diabolum Chriſtus vocat mendacem & homicidam, eſtq; ἐπιχαιρέκακος.

35.

Falluntur & ipſi, quia non omnia ſciunt, nec futura omnia ſcire à Deo permittuntur.

36.

Etſi autem aliquando verum dicant: tamen cùm Satan pater ſit mendacij, veritas ab ipſo quærenda non eſt.

37.

Et ideo tantùm interdum verum dicunt, vt mendacia ſua hoc prætextu vendere poſsint.

38.

Hoc eodem conſilio, cùm viderent & ſcirent Diaboli Idololatriæ euerſionem & abrogationem, ipſimet eã prædixerunt, vt nihilominus colerentur peſsimi & aſtutiſsimi Spiritus, & pro diuinis haberentur reſpondente euentu.

39.

Vnde & Chriſtus, & Apoſtolus ipſius Paulus, electũ Dei organon, vera etiam dicentem Satanam loqui prohibuerunt, ſilentio ei impoſito.

40. Quod

40.

Quod non attendentes Magi, & qui ipsos consulunt, sæpenumero à mendaci Spiritu seducti, sibi & alijs exitium attrahunt.

41.

Stultè ergo, & non stultè solùm, sed etiam impiè faciunt, qui patrem mendacij de veritate consulunt, cùm quòd etiam verum dicit, mentiatur.

42.

Hoc autem facere omnes illos, qui ad Magos, Incantatores, & huius farinæ homines accedunt, vt veritatem ab eis inquirant, constanter affirmamus.

43.

Arte etiam Magica, potentia, ministerio, & ope Diabolorum, qui Magorum opera vtuntur, miranda & stupenda fieri interdum, dubium non est.

44.

Est enim Spiritus potentissimus, & itidem pessimus, odio generis humani flagrans, & nocere ac perdere cupiens. Quorum vtrunq; in Iobis historia videre est.

45.

Sæpenumero etiam in societatem scelerum suorum homines, quos sibi obnoxios habet, assumit, vt eos in obsequio & officio retineat, cùm sibi facere ea videntur, quod Satan facit, & etiam absq; illorum opera facere poterat, quo fallat, & pœnarum habeat consortes.

46.

Vt, cùm potestas aëris dicatur & sit, adeoq; Princeps huius mundi, Deo permittente, turbare aërem, atq; infi-
cere potest, tempestates ciere.

47.

Cumq; iam instare tempus videt deuinctos sibi, & coniuratos suos admonet Magos vel Sagas, vt illi carmina sua expediant, hæ verò herbulas quasdam certas coquant, ollulamq; euertant.

48.

Cumq; sequatur effectus, grando, & aliæ tempestates, illi suis incantationibus, murmure, & herbularum coctione, tempestates se excitasse credunt, & sibi persuadent.

49.

Quæ cum causas in rerum natura & verbo Dei nullas habeant, superstitiosa, vana, impia, adeoq; sacrilega esse, sciendum est.

50.

Aliquando etiam fieri videntur, & apparent hominum sensibus, quæ tamen re vera non sunt, delusis hominum sensibus, præstigijs, & falcino Diabolico.

51.

Hoc autem modo ludere, & oculos hominum fallere Diabolo difficile non est. Cùm videamus circumlatores & ioculatores industria sua & agilitate, miris modis hominum sensibus illudere.

52.

Sic Magi à Dæmonibus, qui momento esse possunt vbi volunt, quos suis incantationibus, aliás ad comparendum promptos & paratos, etiamsi nulli vocentur, euocant, transferuntur, & per aërem vehuntur, vt ferè nulla mora interposita, aut vnius horulæ spacio, multa conficiant milliaria.

53. Eundem

53.

Eundem ad modum, vel verè res alibi furto ablatas, subitò auferre, & afferre, vel sensibus illudere, & nuda illis proponere phantasmata possunt, sicut talia Satanæ ludibria esse, subita euanescentia arguunt.

54.

Cuiusmodi sunt etiam phantasmata, imagines Heroum, & aliarum personarum, quas Magi suis carminibus se ex orco quasi excitare videntur.

55.

Quod etiam interdum Satan incantationibus Magorum se vitro includi simulat, Non coactus humana potentia, characteribus, adiurationibus, vel vi verborum id fit, sed sponte illic se ostentat, vt interim illaqueatum & captiuum Magum eiusmodi phasmatis fascinatum in sua seruitute detineat.

56.

Cuiusmodi sunt Dæmonum eiectiones, & exorcismi Papisticorum Sacrificulorum ad memorias Diuorum, Anastasij & aliorum.

57.

Vbi volens Satan cedit, non vi verborum coactus: sed ita cedit, vt cesset quidem vexare corpora: interim verò animas miseras errorum opinionibus replet, sibiq; obnoxias reddit.

58.

Multò enim potentior est Spiritus Satan, quàm vt à misero homuncione, qui antea est mancipium ipsius, characteribus, verborum conceptorum recitatione, & carminibus, se vel alligari, vel eijci patiatur.

59.

Quemadmodum Dominus eum sub nominibus Behemoth & Leuiathan in Iobe describit.

60.

Vtcunq; autem potens sit Spiritus, tamen nec per se, multò verò minus per suos Magos, sicut perperam multi senserunt & scripserunt etiam, homines, eorumúe membra, & species in alias diuersas, vt bestiarum, λυκανθρώπους, &c. transformare potest.

61.

Prorsus enim non potest creare aliquid ex nihilo, quod solius Dei est.

62.

Sic nec verè res, & species à Deo conditas, transformare in alias species potest.

63.

Nam per λόγον Dei filium omnia facta sunt, quæcunque sunt facta.

64.

Augusſt. de ciui. Dei, li. 18. ca. 18. De quo rectè & sanctè D. Augusſt. scribit: Non solùm animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel potestate, in membra, vel liniamenta bestialia veraciter posse conuerti, &c.

65.

Et in Decreto: Quisquis credit posse fieri aliquam creaturam aut in melius, deteriusúe immutari, aut in aliam speciem vel similitudinem transformari, quàm ab ipso omnium creatore, pagano & infideli deterior est.

66.

Non igitur Magi suis incantationibus virgas suas in serpentes verè mutauerunt, sicut Moses mandato Dei fecit

fecit per miraculum: sed præstigijs oculos spectantium fascinantes, lusisse arbitror. Cùm nec pediculum producere potuerint.

67.

Quod enim Moses scribit, Magos feciſſe similiter suis incantationibus, loquitur ad sensum spectatorum, quibus apparebant phantasmata talia serpentum. Qua de re sequenti Disputatione de Miraculis copiosius.

68.

Ita nec Satan facere potest, nec Magi, vt corpus per spacium inproportionatum, videlicet per foramina in cellis vinarijs, & similia angustiora quàm sunt corpora, ingrediantur.

69.

Nisi fortè, si tale quid accidat verè, Satan loco moueat lapides, & alia materialia, quæ deinde mox restituat, aut alio quodam simili modo, sicuti est mille artifex, & valde potens Spiritus.

70.

Nec incantationibus Magorum, corpora, & valetudo hominum, aut pecudum lædi possunt: Tu maledices, inquit Dominus, & ego benedicam.

71.

Exemplo est Bileam, qui sua Magia maximè cupiebat lædere Israëlitas: tamen nihil proficiebat.

72.

Et quidem fieri potest, quòd homo maleficio lædatur ad verba Magorum, vel etiam læsa hominis imagine, ex quacunq; materia efficta.

73.

Sed id verborum vi, aut læsione imaginis fieri, existi-

mandum non est: verùm ab ipsomet Diabolo, modo invisibili, Deo iusto suo id interdum permittente iudicio.

74.

Sicut autem lædere suis incantationibus Magi non possunt, ita nec curare morbos suis exorcismis & characteribus.

75.

Quod etiam prętexunt se verbis sacris vti: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Oratione Dominica, salutatione Angelica, & alijs similibus, & his efficaciam istam tribuunt, secq; hac ratione satis excusatos esse arbitrantur, nihil proficiunt.

76.

Verbum enim Dei non in hunc vsum à Deo est datum aut institutum, vt morbos corporis curet: sed vt de Dei erga nos clementi ac paterna voluntate testetur, & tranquillas reddat conscientias.

77.

Nec nouas virtutes, aut qualitates Verbum Dei hoc modo à Magis prolatum, confert rebus, præter eas, quas à Deo in creatione acceperunt.

78.

Imò hac ratione in planè alium & diuersum quàm à Deo sit traditum transfertur, quod est abuti nomine Dei in vanum, & impierate non caret.

79.

Vnde rectè D. August. damnat superstitionis omnes ligaturas atq; remedia, quæcunq; Medicorum disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, fiant.

August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20.

80. Sic

80.

Sic & in Decreto dicitur: Admoneant fideles sacer- 26.q.vlt.
dotes populos suos, vt nouerint, Magicas artes, incan-
tationesq; quibuslibet infirmitatibus hominum, nihil re-
medij posse conferre. Non animalibus languentibus,
claudicantibusue, vel etiam moribundis quicquam me-
deri. Sed hæc sunt laqueus & nsidiæ antiqui hostis, qui-
bus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

81.

Cognationem cum Magis hisce habent, primùm Sa-
gæ, siue Lamiæ, de quibus tamen hîc non disputamus,
quod peculiarem requirat res ista disputationem.

82.

Deinde etiam Pontifices & Sacrificuli, Romani An-
tichristi satellites, qui multò magis hac in parte peccant,
quàm vulgares Magi & Incantatores.

83.

Certis enim & conceptis verbis, certis ritibus, certis
carminibus, certis characteribus, & crucibus plurimis,
& sic verè Magicè, atq; incantatione mera, tribuere se
arbitrantur, atq; nugantur rebus, quas hoc modo exor-
cisant, sine omni verbi diuini mandato, ordinatione, &
institutione, nouas & supercœlestes vires, quas nec ex
naturalibus causis, nec diuina ordinatione habent.

84.

Primùm enim prolatione horum quinq; verborum:
Hoc est enim corpus meum, cum halitu facta, se panis
substantiam mutare, corpus Christi de cœlo detrahere,
& in hoc illum conuertere, plane magicè, sibi & alijs
persuadent, & audacter atq; temerè pronunciant.

85. Deinde

85.

Deinde idem faciunt ſuis exorciſmis, & incantationibus à ſe confictis, plærisq; alijs creaturis, quas in cœleſtes, ac planè diuinos vſus magicè excantant.

86.

Salem exorciſant, vt ſit omnibus ſumentibus, ſanitas animæ & corporis, & effuget Diabolos.

87.

Similiter aqua, inquiunt, benedicta, deleat tibi tua delicta: Et diuinæ gratiæ ſumat effectum ad effugandam omnem Diaboli poteſtatẽ, abijciendos Dæmones, morbos pellendos, ne in illis locis reſideat peſtilens ſpiritus, non aura corrumpens, in quibus hæc vnda fuerit reſperſa, ac cuncti ea reſperſi ſanctificentur ac purificentur.

88.

Herbis à ſe exorciſatis certa & concepta verborum forma has vires affingunt, quòd omnes qui vtuntur, ex eis benedicantur & ſanctificentur, & ſit eis ſanitas animæ & corporis. Et omnibus hominibus, pecoribusq;, qui ex eis guſtauerint, omnem putredinem, & omne phantaſma Diaboli, & omnem morbum, & omnem peſtilentiam & dolorem expellant.

89.

De Agno Dei, ex cera & lana confecto, atq; à ſe conſecrato aſſerunt: Peccatum frangit, vt Chriſti ſanguis, & angit, &c.

90.

De Balſamo & oleo dicunt: Exorciſo te (audis verba Magorum) creatura olei, per Deum Patrem Omnipotentem, &c. vt fias omnibus, qui ex te vngendi ſunt, (quem-

(quemadmodum Sagæ) in adoptionem filiorum Dei, per Spiritum sanctum. Item, vt per hanc vnctionem olei sacrati accipiat vnctus plenam remissionem peccatorum. Et sit ad refectionem mentis & corporis, cœlestis Medicina, tritamen mentis & corporis, ad euacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemq; ægritudinem mentis & corporis.

91.

Oleo infirmorum vnguntur membra humana, quæ sunt organa sensuum exteriorum, vt per istam vnctionem expietur, quicquid homo istis membris & sensibus vnquam deliquit.

92.

Has vires, creaturæ istæ, non habent ex naturali creatione, neq; diuina ordinatione, aut Verbi Dei institutione, ideoq; mera vera Diabolica, impia, & blasphema Magia.

93.

Etsi autem res istæ, quibus Pontificij consecratis à se vtuntur, per se bonæ sint Dei creaturæ, ad certos vsus in prima creatione conditæ, tamen hic non est earum vsus, quem illis Pontificij Magi affingunt.

94.

Adhæc etsi diuinis vtantur, seu potius abutantur verbis è Scriptura sacra mutuatis, tamen non in hunc vsum sunt data, ideoq; non vsus verborum Dei legitimus est, sed abusus impius, Magicus, & detestandus.

95.

Nam quod Apostolus ait: Sanctificari creaturas per Verbum Dei & Orationem, non de Magico isto Sacrificulorum exorcismo salis, aquæ, olei, herbarum, cere- 1. Timot. 4.

C orum,

orum, &c. loquitur: sed de cibis, quos non vult prohiberi, quemadmodum Pontificij faciunt, quod Apostolus doctrinam Dæmoniorum & Apostatarum appellat: verùm pios ijs vti secundum verbum Dei, quo in cibum concessit ea omnia, cum precibus & gratiarum actione, quibus ad vitæ sustentationem consecrantur, vt eorum vsus fiat licitus & concessus.

96.

Est enim Hebraismus in verbo sanctificari. Sicut etiã 1.Cor.7. eodem verbo in eadem significatione idem author vtitur: Sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem. Et: Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.

79.

Cùm igitur horrendus sit abusus Nominis & Verbi Dei in exorcismis, & incantatione Magorum & Sacrificulorum Pontificiorum, ideo Magica hæc, abominationem in conspectu Dei esse sciendum est.

98.

Seuerissimè quoq; Deus, & in genere, & in specie verbo suo interdixit.

99.

Addit & grauissimas minas, ac diras pœnas in lege sua: Maleficos non patieris viuere. Item: Anima quæ declinauerit ad Magos, & hariolos, & fornicata cum eis fuerit, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

100.

Sicut etiam legibus ciuilibus Impp. hæc sunt prohibita, addita pœna.

101. Hinc

101.

Hinc verò nos ingentem Diaboli maliciam & potentiam agnoscere discamus, Quod seueriſsimis hisce Dei mandatis, minis & pœnis neglectis & contemptis, homines miseri æternæ suæ salutis immemores, à Diabolis sibi persuaderi patiuntur, vt pacta cum ipsis faciant, seq; illorum ministerio, cum perpetua animæ suæ iactura, addicant.

102.

Fraudes quoq;, dolos & impoſturas Satanæ, ab eiusq; artibus nobis cauere discamus.

103.

Et in timore Domini viuentes, supplices ipsum oremus, vt nos suo Spiritu sancto regat in tota vita & omnibus nostris actionibus, nec Diabolis vllum in nos ius aut potestatem permittat, Amen.